

gignere posset, si sperarentur nuptiae: sufficiens adest  
fundamentum, cur grauiter illae interdicantur.

DCCXXIII. Societas coniugum in se est necessaria, et sola personae determinatio a voluntate contrahentium pendet; igitur eius dissolutio solo coniugum dissensu semper fieri nequit. Quin quum ambo educare liberos naturaliter teneantur, et munuum sibi adiutorium praestare, quod sine constanti amoris et amicitiae vinculo foret exignum, atque ingratissimum, naturale est, ut societas coniugalis individuam vitae consuetudinem contineat. *L. I. II. de R. N.*

DCCXXIV. Enimvero tales saepe obueniunt circumstantiae, in quibus diuortium, quoad vinculum, hoc est, dissolutio matrimonialis societatis viuis coniugibus facta nec procreationi, nec educationi repugnat; veluti si alterutra pars sterilis esset, aut liberi vel mortui forent, vel iam educati, aut si ob violatam fidem coniugalem, vel morum crudelitatem, nullam sperare liceret conciliationem, et tunc ex solorationis lumine haud adparet causa, omnimodum dissolutionem denegandi. \*

\* Dicendum hic de legibus diuinis positivis:

- I. *De vitanda polygynicia.* Gen. I. 27. et II. 24.
- II. *De gradibus vetitis matrimonii* Lexit XVIII. 6. et 24.
- III. *De diuortio.* Gen. II. 24. I. Corinth. VII. 13. Math. V. 32. XIX. 9.
- IV. *De imperio mariti in uxorem.* Gen. III. 16

## CAPVT XXVI.

### *De societate parentum et liberorum.*

DCCXXV. Nisi spem eventus fallat, societatem coniugalem consequuntur liberi, qui homines sunt,  
**L 2** hinc

**hinc iure connato ad res vitae necessarias instructi, adeo tamen imbecilles, vt per se ipsos hoc ius exercere nullo modo valeant.**

**DCCXXVI.** Eorum igitur educationem primo commendant parentibus naturales stimuli, seu *vox naturae*, quae vox Dei est, dein finis matrimonii eandem exigit; porro ad illam coniuges perfecte obligantur cum pacto coniugali, tum iure connato liberorum, quod violent parentes efficiendo, vt nati liberi rebus necessariis destituantur.

**DCCXXVII.** Qui obligatur ad finem, ei ius ad media conuenientia denegari nequit: quum igitur pater et mater teneatur liberos educare, ac porro efficerre, vt adolescent, et ipsi sibi de rebus necessariis propicere, atque actiones suas legi naturali conformare valeant, competit quoque parentibus ius actiones liberorum, quamdui hi officio suo satisfacere nequeunt, determinandi. Atque hoc ius est, quod *parentalem potestatem* appellamus.

**DCCXXVIII.** Nascitur potestas parentalis ex obligatione educandi, haec autem a natura iis est imposta, qui liberos genuerunt; igitur hoc sensu Grotius non inepte <sup>\*</sup> parentum ius in liberos a generatione, cilicet ut a fundamento mediatu deriuauit.

**DCCXXIX.** Non autem opus est cum Pufendorfio <sup>\*\*</sup> recurrere ad socialitatem, vel ad pactum praesumtum cum liberis; nam socialitas ius educandi omnibus tribueret, et pactum praesumtum sola fictione nititur. Absurde autem scribit Hobbesius <sup>\*\*\*</sup> filium matris esse iure occupationis ea lege factae, vt filius non euaderet hostis, sed obediret; nec enim liberi res nullius sunt, sed iuribus sibi connatis fruuntur. *v. Val. Max. VII. 7. 2.*

**DCCXXX.** Quum soboles sit educanda, et iuri-  
bus

\* *De I. B. et P. II. c. v. n. 11.*

\*\* *Off. H. et C. II. c. 3. §. 2.*

\*\*\* *De Civ. IX. 5.*

bus gaudeat connatis, habet sine dubio ius in vitae et corporis sui conseruationem: adeoque potestas parentalis ad illas tantum actiones pertinet, quae salua proliis conseruatione fieri possunt; non igitur ea comprehendit ius educationi contrarium, veluti liberos necandi, aut de vita et membris ipsorum pro luctu disponendi, ne concipi tanquam dominium potest, quod in res tantum, non in homines adquiritur.

DCCXXXI. Extendit se educatio ad omnes illos astus, per quos liberi efficiuntur apti ad bene, beatique viuendum; itaque ius habent parentes et obligationem alendi et perficiendi liberos in anima, corpore et statu externo, adeoque eos instituendi in religione, scientiis, artibus, aliisque mediis, quibus vitam honeste tolerare possint. Quae obligatio eatenus perfecta est, quatenus ea neglecta ius connatum liberorum videntur.

DCCXXXII. Quare *Expositio* infantis, denegatio alimentorum, et omnis actio coniugis, qua corpus vel animus sobolis corrumperit, non modo est alterius coniugis laesio, cui ius in mutuum adiutorium ad finem educationis vi pacti coniugalis fuerat translatum, sed etiam est laesio liberorum, qui non minus ius connatum habent et perfectum ad alimenta necessaria, quam ad auertendam sui occisionem. cf. L. 4. D. de agn. et al. lib.

DCCXXXIII. Saluum tamen est parentibus ius omnes sumptus, pretiumque operarum educationis repetendi, si liberi ad meliorem statum peruererint, ut dictum est de istis, qui in extrema necessitate res accipiunt alienas.

DCCXXXIV. Quamprimum liberi usum rationis nanciscuntur, actiones suas arbitrio genitorum determinare, et ita voluntatem et vires ad finem educationis coniungere debent; incipit porro tunc societas parentum et liberorum, seu parentalis, quae est *Legalis*, et vel *Composita*, v. g. cum coniugali, vel alterutro

deficiente coniuge, *Simplex*; dein *Inaequalis*, siquidem parentum potestas imperium est, cui dependentia liberorum, seu *jubilelio filialis* correlata est.

DCCXXXV. Ex natura imperii parentalis intelligitur, cur parentes viuendi normam liberis suis iure praescribant, eos obligent, et inobedientibus pro emendatione poenas imponant; cur porro, quia nemo obligatur iuuare illos, qui sibi ipsis sufficient, etiam operas liberorum in suam utilitatem convertere, easque cum sumtibus et operis educationis compensare possint; cur denique liberi parentibus obsequi, et laborando alere egentes teneantur, ita ut nec pacisci sine consensu parentum, nec naturali imperio se se subtrahere iis licet. v. Num. XXX.

DCCXXXVI. Qnum possit socius saluo communione etiam utilitati studere priuatae, consequens est, ut liberis permisum sit sibi res et iura adquirere a parentibus haud violanda, postquam omnes educationis sumptus detraxere, nec enim parentes sunt veri librorum domini, adeoque cessat hic regula, accessorium eius esse, ad quem principale pertinet.

DCCXXXVII. Homines, qui nec de alimentis sibi prospicere, nec proprias actiones ad futuram felicitatem soli dirigere possunt, naturaliter sunt *Impuberes*, qui ad utrumque sunt idonei, *Maiorennes*, qui ad unum tantum, *Minorennes* vocantur.

DCCXXXVIII. Durat igitur obligatio educandi, et hinc imperium parentale usque ad maiorenitatem; quam si attingant liberi, cessat societatis legalis finis, et ipsa haec societas definit, etsi reverentiae, et gratitudinis obligatio perpetuo permaneat.

DCCXXXIX. Actus, quo proles parentali potestate dimittitur, est *Emancipatio*; quoniam societas parentum et liberorum est legalis, naturaliter emancipatio a sola genitorum voluntate haud pendet.

DCCXL Minorennes satis se dirigere, aut saltum

tem se ipsos alere nequeunt, igitur arcendi sunt a societate coniugali, in qua liberis alimenta, et informatio debetur. Quare nuptiae a minorenni inuitis parentibus contractae irritae sunt, sed valebunt a maiorenni celebratae, nec enim bono societatis amplius sunt oppositae, et si officio interno gratitudinis repugnare aliquando possint.

DCCXLII. Sunt, qui societatem parentalem etiam finita educatione perdurare arbitrantur. Quidquid enim, aiunt, facto meo iusto produco, illud fit meum adquisitum, sed pater et mater sunt concusae efficientes sibi tamquam effectus communis eo animo, ut sit sua; itaque eam, quam producunt, indistinctim adquirunt. Ast regula haec obtinet tantum circa res nullius, et quae proprietatis sunt capaces, quae in liberos non cedit. Quid? quod filii saepe contra voluntatem, et scopum genitorum procreantur, animam vero, quae propria hominis natura est, immediate a Deo accipiunt.

DCCXLII. Parentalis potestas fundatur saltem, mediate in generatione, et ab insitis naturae stimulis temperamentum accipit; igitur proles nullius patrum imperium agnoscere debet, quam eorum, a quibus vitam accepit: quae ratio, quum in alio obtainere nequeat, parentes suam potestatem in alios transferre non possunt, quippe, quae mere personalis est, et ideo liberi respectu extraneorum libertate naturali vtuntur.

DCCXLIII. Possunt tamen parentes, qui egeni sunt, vel aliter impediti, exercitium educationis aliis permittere, quod enim quis per alium facit, per se videtur fecisse; et tunc haud laeduntur liberi, sed magis perficiuntur. Quum igitur, qui educant, vices subeant parentum, et vel mandatarii sint, vel negotiorum gestores, quaenam sint eorum iura et obligaciones, ex dictis haud difficulter erui potest.

DCCXLIV. Speciatim *Tutores* dicuntur, qui impuberes parentibus destitutos, seu *Pupilos* educant, quae *societas tutelaris* cessabit simul, ac *pupillarem*

statum pupilli sunt egressi, et se ipsos per aetatem tueri  
valent.

DCCXLV. Posita eadem ratione idem rationatum  
poni debet. Quum ius parentale in generatione, et  
debito educandi fundatum sit, vtraque autem haec cau-  
sa in patre aequa a matre obtineat, evidens est, potes-  
tatem in liberos utriusque parenti naturaliter esse com-  
munem, et alterutro autem mortuo ad superstitem de-  
uelui, seu ei ad crescere; ast modus, qeo potestas ab  
uno vel ab altero exerceatur, pacto etiam tacito deter-  
minari potest.

DCCXLVI. Ceterum, quum mater semper certa  
sit, pater autem aliquando incertus: quoniam in iure  
idem est, non esse et non adparere, naturale est, vt si  
soboles extra matrimonium fuerit suscepta, partus ven-  
tum sequatur. v. L. 24. D stat. hom.

## C A P V T XXVII.

### *De societate herili.*

DCCXLVII. Operae nostrae suum valorem habent,  
certoque pretio aestimari possunt. Si quis igitur aut  
debito, quod pacto vel laesione contraxit, satisfacere,  
aut necessaria alimenta sibi comparare aliter nequeat,  
quam ubi creditor, vel alere volenti, operas dome-  
sticas pro sustentatione praestiterit, nulla dubitatio  
est, quin ad eas praestandas per propriam suam salutem  
obligetur, quum nec creditor ius suum adquisitum re-  
mittere, nec quisquam homini ad laborem idoneo vic-  
tum et amictum gratis praebere teneatur.

DCCXLVIII. Qui ius habet perfectum operas ab  
homine exigendi pro alimentis, herus est, vel hera,  
et qui in eo viuit statu, vt operas ita praestare obliga-  
tur, est in servitute late sumpta, seruus, sive famu-  
lus, vel ancilla.

DCCXLIX.